



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput II. Dei tentatio & sacrilegium exponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

modo confirmarunt, sed & nonnullis aliis auxerunt, utut variis ex causis omiffa, aut impedita executio fit (a).

CAPUT II.

Dei tentatio & sacrilegium exponuntur.

De*i* tentatio tunc committitur, quando aliquis fit aut dicitur, ut Dei potentiae periculum fiat. Cum diabolus Christo persuadere vellet ut se e templi pinnaculo, quo eum sustulerat dejiceret, sperans se in manibus, sicut scriptum est, Angelos portaturos, ne forte ad lapidem offenderet pedem suum; Dei filius alio Scripturae textu illi respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (Deuter. 6.). Inde hoc peccatum provenit, quia ordinariae Dei pro-

(a) Ad salutarem blasphemiae horrorem excitandum ejusmodi poenae iis, qui de blasphemis se acculant, sunt exaggerandae. Addi ex S. Antonino potest, blasphemare Deum, & maledicere praecipuam damnatorum in inferno occupationem esse juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas praedolore . . . Et blasphemaverunt Deum in praedoloribus &c.* (Apoc. 16.). Hinc, qui in vitio detinetur, ostendit, se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercet artem eorum (Par. 2. Tit. 7. cap. 5.). Proderunt etiam jaculationes quaedam preces quotidie de mane, & interdum, ac praepriis post quemvis relapsum repetendae. Tales sunt: *Sanctus &c. Dominus Deus Sabaoth. Sancte Deus, sancte Fortis; sancte &c. misericors Salvator! amarae morti ne tradas me &c.* aliaeque divinarum Perfectionum laudes, quarum magnum apparatus libri pii suppeditat.

Etioni diffidimus, ac propterea signum petimus; interdum etiam ex vanitate promanat, si insolitum aliquod velimus hoc pacto experiri. Committi potest, si a communi lege, & a Sapientum in similibus praxi velimus recedere.

Sacrilegium est profanatio sanctarum, sacrarumque rerum, quæ in triplici sunt genere:
1. Personæ, veluti Sacerdotes, aut Religiosi:
2. Loca, & res divino cultui dicatæ, veluti vas sacra: 3. Sacramenta & sacra Scriptura.

Sacrilegium quoad *personas* committitur
1. Quando ipsæ verberantur; quod peccatum excommunicatione mulctatur juxta celebrem Canonem: *Si quis suadente diabolo* (Caus. 14. qu. 4.). Si levis sit ictus, potest Episcopus ab excommunicatione absolvere; si gravis sit ictus, & enormis læsio, est casus Papæ reservatus.
2. Quando personæ Deo dicatæ opere vel cogitatione carnaliter peccant; tunc enim puritatem violant suorum corporum, quæ ad Deum pertinent sive ordinatione, sive professione religiosa.

Quoad *loca* sex modis sacrilegium committi potest, 1. homicidio sive voluntario, sive casuali (cap. *propofuisti. de Consecr. Eccles.*)
2. humani sanguinis effusione (cap. *eod.*)
3. opere conjugii, 4. sepultura excommunicati, 5. sepultura infidelis, 6. latrocinio seu furto juxta canonem *Quisquis causa* 17. *quest.* 4. quod tripliciter committitur, nempe 1. rem sacram furando in loco sacro: 2. rem non sacram in loco sacro, veluti ibi servatum
Godeau Theol. Mor. Pars I. H h de-

depositum : 3. rem sacram in loco non sacro.

Quoad *res* multiplici modo sacrilegium perpetratur. 1. Indigna Sacramentorum consecratione. 2. Indigna eorundem susceptione. 3. Inreverenti rerum sacrarum tractatione, vel temeraria illarum illusionem, & dehonorationem. 4. In tolerabili sacrarum textuum ad res ludicras & amatorias &c. detorsione. Contra ejusmodi usus varios Ecclesia Canones edidit, censurisque in temerarios animadvertit, nec tamen omni suo zelo ingens hoc malum e medio tollere voluit.

Sacrilegium grave est peccatum; quia irreverentia rebus, personis, locisque sacris illam in ipsum Deum reduntat, sicque raro aut nunquam materiae parvitas, sed solus advertentium defectus quandoque levis peccati reatum inducit. Non unius infimae, sed diversae speciei sacrilegia dantur, unumque sua malitia alterum supererat. Non igitur confusanae sacrilegii narratione acquiescere, sed in illius speciem ac modum indagare Confessarius debet.

CAPUT III.

Superstitionis definitio & divisio.

Quemadmodum Religio est verus Dei cultus, sic *superstitio*, quae illi adversatur, falsus est & vana religio, qua aut indebitus cultus, aut aliter, quam jubetur Deo redditur. *Exemplum* causa, si quis modo veteris legis, aut infidelium